2.

IN FVNERE
HENRICÆ ANGLIÆ
AVRELIANENSIVM DVCIS
CARMEN.

Autore LAVRENTIO LE LETIER E' SOC. IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVRELIÆ,
Ex Typographiâ CLAVDII & IACOBI BORDE
Typog. & Bipliop. Collegii Regii Aurelian.
in Clauſtro S. Crucis.

M. DC. LXX.

IN FVNERE HENRICÆ ANGLIÆ *AVRELIANENSIVM DVCIS* CARMEN.

HENRICÆ *auguſtos cineres, invisáque fata*
Plangimus affuſi tumulo, qui maximus vndis
Funereum oſtentat latè decus; atque ſuperbam
Principis effigiem lugentibus inſerit aſtris.
Vos ò Nereides, quibus hæc conceſſa poteſtas
HENRICAM *colere, & liquidis attollere campis*
Altum opus; æternumque piâ ſub mole dolorem

Exprimere, & ſæclis gemitus mandare futuris:
Dicite quisve Deus, quæve officioſa beatis
Manibus, extremos certatim adjungere honores
Impulerit fortuna; aut quâ ſe nobilis arte
Tollat in immenſum pretioſi forma ſepulchri.
Læta Caledonios portus, fraternáque regna
Linquebat, pelagóq; volãs HENRICA *ſecũdo*
Francigenum dulces optata redibat ad oras:
Cùm pelago ſe Nereidum gens omnis ab alto
Erigere, undantes ſeu regna Britannica circum
Exercent de more choros, ſeu Gallica certant
Littora divitibus Neptuni augére tributis.
Idem omnes ſimul ardor habet formoſa tueri
Lumina, & æthereos perituro in corpore vultus.
Ergo leves inſtant manibus contingere remos.
Pars fortunatæ rutilantia labra carinæ
Aſcenſu tentare levi, pars ſurgere vaſtis
Cetorum incumbens humeris, aut fluctibus altos
Adjicere undarum cumulos, cumulísque ſedere
Deſuper inſpectura viros, cætùque locatam
HENRICAM *in medio, & regali in veſte mi-*
cantem.
Nympharum cupidos ſenſit Dux alma labores:

Ilicet aſſurgit ſolio, miſerata puellas
Vndivagas tantos nequicquam impendere niſus:
Et ſimul, ô Divæ, ſi vobis certa cupido eſt
Fœmineos ſpectare oculos, mortaliáque ora,
Nil moror: his dictis, roſeâ cervice refulſit,
Altâ in puppe ſedens. Procerum flos emicat ingens,
Nobiliúmque hinc inde manus lectiſsima matrum.
Qualis Luna micat, puro clariſsima Cœlo,
Sideribus ſtipata ſuis: aut cum nova ſpargit
Lumina, flaventéſque comas Aurora recludit:
Haud ſecus egregio frontíſque, habitúſque decore,
Numinibus ſe ſe æquoreis HENRICA *videndã*
Obtulit. Extemplo ſtetit omnis turba Dearum,
Aſpectu percuſſa novo; ſimul ima cucurrit
Inſinuans per corda ſtupor, ſtupor ora fefellit,
Extremis reprimens fluitantia verba labellis.
Nec priùs attonitæ fandi vis reddita linguæ;
Regia quám portu navis ſe condidit alto,
Incolumémque Ducem Caletum allapſa reduxit.
Tum verò plauſu ingenti circumſonat æquor:
Purpureas aliæ & mixto candore decentes
Carminibus celebrare genas: pars frontis honorem
Suſpicere, & meritas oculis adſcribere laudes.

Nec ſatis; HENRICAM *modulato dicere cantu*
Fert animus: cantu in medio geminata recurſat
Mille modis HENRICA*: modis quoque proxima iiſdem*
HENRICAM *ſaxa ingeminant; ſemota propinquis*
Reſponſant ſaxa, & læto vada carmine cõplent.
Audiit immenſis latè qui præſidet vndis
Oceanus pater: atque imo ſe gurgite tollens,
Quæ nova, ait, Divæ, tanto ſe murmure prodit
Lætitia; aut vitreis quæ ſors favet optima regnis?
Olli Nereides contra: Rex maxime ponti,
O ſe quanta tulit placidum Dea vecta per æquor!
Terreſtris Dea, ſed nitidis formoſior aſtris.
Atque vtinam auditas liceat depromere laudes,
HENRICAM*queis, mille tubas imitata, canebat*
Fama, ſimul cunctas pelagi vulgata per oras:
Hanc tibi, ſubjectis hanc vltrò imponere leges
Fluctibus, æquoreámque dabis geſtare coronam.
Námque olli primâ tercentum ab origine Reges
Stemmata clara ſuis quondam peperere triumphis,
Et magnum meruere decus; ſedenim ipſa viciſſim
Proh quantos atavis illuſtribus addit honores!
Ingentes animos tenero ſub pectore verſat,

Major ſorte ſuâ: nec ſic victricibus armis
Inter Amazonidum generoſas inclyta turmas
Pentheſilea ſuum tollebat ad æthera nomen:
Illa ſibi vt quondam ſummæ ad faſtigia laudum
Nobile fecit iter, ſævis objecta periclis.
Sed tantam immeritis virtutem impunè laceſſi
Caſibus haud licuit: mæſtis nam læta rependens,
Inde novos olli fortuna oſtendere vultus;
Atq; aditum meritis facilem præbere triumphis.
Quin etiam ſibi quem fraterno ſanguine junctum
Gallorum Rex armipotens Ligerina fluenta,
Vitiferoſq; dedit moderari legibus agros,
Vnde ſuos ditat formoſa AVRELIA cives,
Dux opibus, bellóque potens, blandâque verendus
Majeſtate, ſibi Nymphis ex omnibus vnam
HENRICAM optavit, ſtabiliq; adjunxit amore.
Talibus intentas dictis, ac plura parantes
Addere Nereidas dextrâ plaudente repreſſit
Oceanus, lætóque hæc inſuper addidit ore.
Vivite felices, quibus hæc conceſſa voluptas,
HENRICÆ roſeáſque genas, regaliáq; ora,
Et nitidis affuſum oculis ſpectare decorem.
Vivat & immunis lethi Dux maxima, vivat

Civibus admiranda ſuis, veneranda nepotum
Æternæ ſoboli, totum celebranda per orbem.
Dixerat; ingeminant plauſus Nereia paſſim
Numina, & optatos ſæclis felicibus audent
HENRICÆ *ſpondere dies, atque obvia quondam*
Sceptráque, & oblatis vltrò data regna coronis.
Et jam cæruleas non vna Aurora choreas
Viderat arridens; puro ſed fortè ſub axe
Clarior, atque novis ibat delata quadrigis:
Ecce autẽ cunctis quem magna Lutetia Regem
Fluminibus dedit eſſe, altáſque inviſere turres,
Sequana cunctantes repetito verbere fluctus
Increpitans, ſalſas ægrè impellebat ad vndas.
Heu mihi quàm rapidos mœſtiſſima lumina fontes
Viſa ſuis lachrymis effundere? quantus ab alto
Gurgite prorumpens triſtes dolor vndique ripas
Turbabat? quantis vlulabant queſtibus vndæ?
Haud fluvius ſolitâ ſe jam gravitate ferebat;
Qualis magnificas leni rigat agmine villas,
Aut Sangermanæ regales ſuſpicit hortos
Deliciáſq; domûs, aut ponte exceptus in Vrbem
Multiplici, Luparæ miracula pronus adorat.

Omnia jam ſimilis lugenti, habitũque, togámque
Pectore diſiectam lacero, fœdatáque pugnis
Tempora, & effuſos ſine lege, ſine ordine crines.
Ergo vbi quæſitos aditus, Neptuniaque arua
Contigit erumpens; luctumque vrgere morantem,
Atque vndis potuit lacrymando adiungere vires:
Continuo ingentes rupit de pectore queſtus,
Et longo averſum gemitu conterruit æquor:
Concuſſæ cautes, turbatáque littora longè
Supremos metuere dies, funeſtáque rebus
Tempora, & inſtantem fluuiiſque ſibìque ruinam.
Oceanus trepidis primus conclamat ab vndis,
Heu quianam in miſeros erumpit ſequana fletus?
Quis dolor, ô nymphæ? quæ fata indigna decorum
Flumen agunt? aut quid ſuſpiria dira minantur?
Acceleremus, ait; ſimul omnes impete facto
Incertæ quæ verba ferat, quos nunciet ictus,
Duráque tela necis, gemebundi fluminis alueo
Siſtunt ſe mora nulla. Hic frontem indutus amicã
Oceanus, quis te, fluuiorũm maxime, quis te
Tantus habet mæror? quídve hæc noua gaudia turbas?
Exue ſollicitos felici hoc tempore luctus:

Te quoque feſtivis juvat indulgere choreis,
Et canere HENRICAM *pariter; quâ pulchrior vlla*
Non fuit in terris, ſtabili nec dignior ævo.
Dixit, & extemplo, neque enim ſperata dabantur
Verba Deo; cœpit veros horreſcere caſus,
Omniáq; ancipiti, certâ nil mente vereri.
Hoc magis ignotas lacrymarum expoſcere cauſas
Ardet, & obductum quærendo arcere dolorem.
Nec minùs intereà Nymphas timor anxius vrget:
Ergo tota phalanx certatim advolvitur vdos
Fluminis ante pedes, & verbis verba referri
Poſtulat. Ille nihil; nec adhuc erumpere voces
Vis morbi furiata ſinit: ſed pectore ab alto
Mille trahens gemitus, ſuſpiria mille retexens,
Rorantes oculos ſæpè attollebat ad aſtra,
Incuſans, partemq; manus jactabat in omnem
Triſtis, & obſcuro gravidus præcordia luctu.
Poſtquam improviſos potuit coram edere ſenſus;
Sic ait illacrymans; quibus heu mœſtiſſima dictis
Nuncia, & infandum pelago memorare dolorem
Cogimur? aut tacito quis jam ſub pectore Nymphis

Senſus erit? non ſi gelidis vos horridus antris
Caucaſus, aut rabidâ tigris fudiſſet ab alvo;
Spes tamen vlla foret triſtes compeſcere fletus.
Namque eadem lætis quæ puppibus alta ſecabat
Æquora, Nympharúmque volentia corda ſubegit,
Francæ gentis honos, & aviti maxima regni
Spéſq; decúſq; Duci magno gratiſſima conjux,
Venturos cui fata dies, æternáque Sceptra
Debuerant; cæco mortis jam ſaucia telo
Occidit, & lucem, vix luci aſſueta, reliquit.
Dixerat, & gelidos ſubitus pavor occupat artus
Nereidum turbæ: fixis obtutibus hærent,
Incertis nequicquam animis; ſeu vera referri,
Seu vanos fluvium credant ſibi fingere luctus.
Ille autem, cognovit enim ſua dicta vocari
In dubium, & varios paſſim conſurgere motus;
Ne dubitate meas, ô Nymphæ, admittere voces,
Et ſcelus infandum, & ſurdæ temeraria mortis
Armáque, & indignas hìc tandem agnoſcite fraudes.
Námque ego dum vigili CLODOALDVM *è gurgite luſtro,*

Mœniáq; & picto fulgentia marmore tecta;
(Horreſco referens) duri prænuntia lethi
Agmina, certantes colicâ ſub peſte dolores
Impete præcipiti feſtas irrumpere in ædes
Conſpicio: neque vis medicis datur vlla nefandam
Ingreſſu prohibere luem. Mors ponè ſagittas
Dira quatit, ſtrictumque offert crudeliter enſem.
HENRICAM *jam ſæva ferit: jam tela ſub imis*
Viſceribus rotat impatiens: heu tempora vitæ
Vltima præcipitant: fugit alto è pectore virtus,
Luctantem tractura animã: fugit & ſua pulchris
Gratia pulſa genis: oculos luménque, decúſque
Deſeruere: ſubit lethi irrevocabilis horror,
Exaniméſq; artus mœſta ad monumẽta reſervat.
Hæc ait; & ſalſis dulces immiſcuit vndas
Irrequietus aquis: celeres dolor, iráque fluctus
Præcipitat, vocémque ſimul, gemitúſque recondit.
At tibi, Nereidum gens cærula, quis tibi ſenſum
Eripuit mœror? dubias vbi Sequana mentes
Impulit HENRICÆ *crudelem agnoſcere ſortem.*
Ibant cæſariem laceræ, manibúſque cruentis
Tempora nunc, madidáſq; genas, nunc candida
duro

Pectora tundebant ſilice, horrendúmq; ſub vndis
Fœmineo latè ſtrepitu, planctúque fremebant.
Quæ non aut hominum, aut ſuperûm crudelia corda
Vltrò incuſarunt? quibus haud fuit inclytus ardor
HENRICÆ *minitans in ſe convertere fatum.*
Aſtra quoque, & iuſtis te, mors, te dira, petebant
Queſtibus; attonitas cum vox audita per auras,
Incertum quo miſſa loco, quis prouidus autor
Conſilij, geniúſne maris, dúxne ipſa dolorem
Nereidum miſerans, turbam his affata gementem.
Quid iuvat, ô nymphæ, lacrymas effundere inanes?
Non hoc vana ſibi tempus ſuſpiria poſcit:
Nunc animis, nunc arte opus eſt, ſacróque labore,
Nympharum ſi quos HENRICA *meretur honores.*
Ergo agite, & medios inter ſolennia fluctus
Mauſolea, piámque ad cœlum educite molem.
Nec plura his; cuncta vocem fugientis adorant:
Nec mora, nec requies, toto labor æquore feruet:
Ac primùm numero ex omni ſelecta Dearum
Turba ſagax, variáſque maris legatur in oras,

Optatura locum tumulo, tumulique ſuperbam
Materiem, & quidquid tegitur regale ſub vndis.
Oceano in magno ſurgit vaſtiſsima rupes;
Hìc vbi Nereidum quondam Regina ſolebat
Luctantes ſpectare Notos, colliſáque ſaxis
Æquora, & abductas Boreâ victore carinas.
Huc iter eſt: hæc ampla tuis, HENRICA, *trophæis*
Fulgebunt ſpatia; illic te venerabitur ingens
Orbis, & ingenti quotquot dominantur in orbe.
Hinc adeò iam triſtis Hyems, pauidique fugantur
Vnà Eurúſque Notúſque: leues ſtatione relictâ
Succedunt Zephyri, rupémque tepentibus auris
Mulcent aſsiduè, teneróque accita ſuſurro
Agmina pennatarum auiũ decora inclyta magnæ
HENRICÆ, *vultuſque docent reſonare ſerenos.*
Intereà notam ad rupem pretioſa vehuntur
Marmora, fœcundis quæ plurima miſit ab antris
Mygdonia; inſolito nutant ſub pondere fluctus,
Suppoſitiq; gemunt piſces: at lætus Eoas
Ganges vectat opes, argenti aurique metalla,
Chryſolitóſque, Onycháſque & magnâ mole
Smaragdos.
Olli Nereidum manus ingens aurea circum

Incedit latera, aut ſparſas in littore conchas
Colligit: immanes multâ vix arte columnas
Rupibus excidunt aliæ: pars cætera vaſti
Fundamenta locant operis: jamq; ardua ſenſim
Pyramis Oceanum ſupra, nubéſq; propinquas
Aeráque, & ſuperas tandem conſurgit ad arces.
Auro tota nitet, cubus aureus, aureus altam
Pyramidem colluſtrat apex, apicémq; triumphans
Deſuper effigies HENRICÆ, *gemmea vaſti*
Ponderis effigies, rutiliſq; micantior aſtris.
Huic patriis fulget læva inſignita coronis;
Namq; ſuos radiante manu ſuſtentat amores,
Auguſtam ſponſi faciem, ſimulatáque parvis
Ductibus, & rubro flammantia corda pyropo.
His oculos, his ora tenet defixa, nec illam
Inclyta ſuppoſitæ capiunt ſpectacula molis:
Obrizo quanquam nitet ars miranda ſub auro,
Ternáque pyramidis circum latera ardua longo
Ordine ſplendeſcunt HENRICÆ *fata, breviſq;*
Circulus annorum, & cunctis par gloria ſæclis.
Illic vitales primi ſub luminis auras
Naſcentem ægra parens tibi enim, tibi gloria
regum

Relligio, tibi ſacra Fides committit alendam.
Talibus auſpiciis, quid non HENRICA *tremendū*
Deſpicit? aut manibus quæ non minitantia vincla
Conſilio matura cavet? quáſve una ſecures
Inſtantes capiti, patrióque cruore madentes
Non fugit inſultans? vivo quanquam effera in auro
Impietas contrà, ſtygiiſq; exercitus armis
Frendet adhuc, rabidóque minas, ignéſq; metallo
Spirat in occultam: at medios elapſa per hoſtes,
Cronuellique dolos, curáſq; eludit inanes.
Exin magnificis venientem Gallia viſa eſt
Vrbibus excipere, & veris antiqua figuris
Iactare auxilia, & tutas promittere ſedes.
Præterea illuſtres nexæ per mutua gemmæ
Monſtravére dies, queis ſacrâ lege PHILIPPVS
Æternam HENRICÆ, *pariterque* HENRICA PHILIPPO
Iurat læta fidem, conjunctiſq; aurea dextris
Tempora reſtituunt: donec mors invida ſummum
Auſa nefas, mediæq; abrupit fila juventæ,
HENRICAM *raptura viro: ſed providus ambos*
Disjungi nil paſſus amor; mentémque PHILIPPI